

vam amplectitur, ea ratione motus, quòd in sacris quidem exempla sint juramenti ab Idololatriis accepti, sed non exacti aut petiti. Addere potuisset, eum, qui tale juramentum exigeret, Idololatram ad ulterius peccandum invitare, ut nomen DEI profanet, tribuatque idolo, quod soli DEO competebat. Enimvero non credimus omnia illa cum peccato esse conjuncta, de quibus sacræ literæ tacent. Et certè utut exemplis deficiamus, non deest tamen testimonium *Augustini* cum ratione satis solida. Ita verò ille, citante *Osiandro* in Notis ad d. l. *Grotii* p. 987. *Qui utitur fide illius, quem constat jurasse per falsos Deos, & utitur non ad malam rem, sed ad licitam & bonam, non peccato ejus se sociat, quod per demonia juravit, sed bono pacto ejus, quo fidem servavit.* Neque statim peccasse est dicendus, qui eo medio utitur, quo fidem humanam quam firmisimè obfirmamus. Ex cujus adhibitione si vel maxime quid peccati emerferit, causa non est in exigente, sed eo, qui cum aliter jurare potuisset, à religione suâ se abduci non patiebatur. Cæterum quod nonnulli putant, ex sententia hac sequuturum, permittendam fore implorationem auxilii Diabolici, id parum difficultatis habet. Non enim tam abjecta est conditio humani generis, ut sine auxilio cacodæmonis salvum subsistere non queat. Postulante autem ipso statu nostro, in quo post lapsum degimus, necessaria esse juramenta, superius demonstratum est. Confer *Osiand.* d. l.

VIII. Juramenta porro in se non producant novam & peculiarem obligationem, sed obligationi in se validæ velut *accessorium* quoddam *vinculum* superveniunt. Semper enim, dum juramus, supponimus aliquid, quo non præstito divinam pœnam in nos provocamus. Quod ineptum esset, nisi illicitum foret non præstare id, quod supponitur; adeoque nisi jam ante obligaremur. Igitur limitatè accipiendum est illud *Sanderfoni* (quod suum facit *Sbarrokius*, in *ὁ νόμος ἡθικῆς* de officiis Juris Naturalis cap. XIII. N. 2. §. 1. p. 265. edit.